



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Cùm causam 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. Cùm causam 37.

SUMMARI A.

1. Iudex qualiter testes examinare debeat.
2. Testes singulares non probant.
3. Testes non convenientes de eodem tempore & loco quando probent.
4. Hodie ipsa pars conficit & offert interrogatoria, super quibus testes examinentur.
5. Testis qui iuravit respondere ad singula an teneatur prodere crimen iuratum, ob quod non possit esse testis.

Hoc Cap. modus præscribitur, quem servare debet iudex in examinandis testibus, videlicet ut ex testibus singulas rei circumstantias perquirat, causas scilicet, personas, locum, tempus, visum, auditum, scientiam, credulitatem, famam & certitudinem. Adeoque simplici dicto sive testimonio testis non statur, nisi etiam reddat rationem dicti sui. Panorm. hic n. 6 & ibid in addit. Intellige verò, quatenus his opus est ad investigandam veritatem: nec enim hæc omnia cumulari debent aut possunt à iudice, in qualibet causa. Siquidem multa sunt, quæ non auditu, sed visu percipiuntur, & e contra quæ visu, non auditu. Item creduntur multa, quæ non sciuntur, & sic de aliis. Proinde iudex de eo, quod visu tantum cognoscitur, interrogabit testem, an viderit: item quod auditu tantum, interrogatur testis, an audierit: & sic de reliquis sensibus corporis, secundum objecta sua. Quin & de aliis circumstantiis interrogabit: ut, exempli loco, si testis dixerit se vidisse, interrogabit iudex, qui præsentis fuerint, quo in loco, quo die, quâ parte diei vel noctis, cum similibus, ut ita ex his animadvertere possit, utrum cum alio teste, vel testibus, qui similiter examinati sunt, conveniant. † Nam si inter se non conveniant testes dicuntur singulares, hoc est habentur singuli loco unius testis, qui non probat, l. Iurisjurandi 9, C. De testib. c. Veniens o in fine & c. Licet 23, h. tit.

Potest tamen contingere, ut testes omnes de eodem tempore & loco non conveniant, & tamen valeant eorum testimonia: ut in facto reiterabili, puta adulterio, dummodò actus singuli probentur, saltem per duos testes. Si enim duo testes probent, Titium commisisse adulterium in certo loco, alii verò testes alibi, sufficienter pro-

batum erit adulterium, cum bis adulterium ab eodem diversis locis perpetrari potuerit Panorm. in c. Cum tunc 2, h. tit. Secus verò, si duo testes de diversis locis adulterium probarent, nam hac specie testes singulares essent atque idcirco eorum testimonia reiicerentur, Gl. notab. in can. Nihilominus 111. q. 9.

Ceterum et si iudicis officio incumbat examinare has circumstantias testium, quantum necesse est, per h. text. tamen consuetudine iudiciorum hæcenus obtentum est, ut ipsa pars adversa de iis interrogatoria conficiat, & ea offerat iudici. Ut ecce, dum actor producit testes ad probandum articulos suos, reo e contra sua interrogatoria exhibente, quibus petit à iudice, ut, si fortè testes dixerint, articulum verum esse, quærat ab iis, quomodo sciant, an præsentis fuerint, an viderint, sive audierint: quis præterea præsens fuerit, quo anno, quo die, quo loco, & similia, prout factum ipsum concernunt, c. 2, junctâ ibid Gl. h. tit. in 6, Et prudenter hoc facit reus, ut, si testes producti in omnibus non conveniant, contrarietatis & falsi arguantur. Et hinc, antequam testes audiantur ex parte actoris, solet iudex citare reum, ad videndum iurare testes, & ad dandum interrogatoria, si velit. Idem observatur & in reo, ut, si is testes suos inducat, eodem modo citetur actor. Et hoc ex consuetudine fori, aliàs iudex ipse de his circumstantiis ex officio inquirat, ut antè dictum est.

Illud quæsitum est, An testis, qui iuravit se responsurum ad singula, de quibus interrogatus erit, veluti, cuius sit ætatis, an dives vel pauper, cognatus vel affinis alteri partium, l. 3, in pr. D. De testib. & text. hic in V personis, teneatur similiter respondere, utrum adulter vel homicida sit, vel alteri crimini obnoxius, ob quod quis iure reiicitur à testimonio dicendo propter infamiam, d. l. 3, §. penult in fine junctâ l. Infamem 7, D. De publicis iudic. & c. Testimonium 54, h. tit. Et rectè putat Panorm. hic num 14, cum non teneri respondere, ad prodendam turpitudinem suam, quod id repugnet verecundiæ hominis atque adeò impossibile videri debeat, l. Filium 15, in fine D. De conditionib. in fit.